ad charitatem pertinet, sicut & gaudere de bonis præteritis: Sed intentio operandi ad deletionem peccati præteriti, requirit specialem virtutem sub charitate.

8. Colligitur secundò contra Caïetanum, pœnitentiam esse virtutem distinctam à religione, quia illæ virtutes jura diversæ rationis respiciunt; pœnitentia enim respicit jus divinum læsum per offensam, & reparabile per satisfactionem; religio verò respicit jus divinum ortum ex suprema Dei excellentia, & beneficiis ab eo receptis, ut docet S. Thomas in 4. dist. 14. qu. 1. art. 1. quæstiunc. 5. dicēs: *Aliquis efficitur Deo debitor per hoc quod ab eo aliquid recipit, & hac ratione Deo reddit debitum honorem latria sive religio: alio modo ex hoc quod contra Deum peccavit, & sic reddit debitum Deo pœnitentia.* Unde pœnitentia supponit necessariò peccatum, non verò religio, quæ potest & debet etiam ab innocente exerceri; ista respicit cultum Deo ut supremo domino tribuendum, illa conatur expiare peccatum, & jus divinum læsum, per satisfactionem resarcire.

9. Dices primò cum Caïetano: Ejusdem virtutis est respicere bonum & malum ei oppositum: At pœnitentia respicit malum virtuti religionis adversum, religio enim circa cultum & honorem Dei occupatur, pœnitentia verò injuriam honori divino intentatam resarcire conatur: Ergo pœnitentia non distinguitur à religione.

Respondeo, concessa Majori, negando Minorem, & ad ejus probationem dico, quod licèt pœnitentia injuriam honori divino intentatam resarcire conetur, non tamen propterea respicit malum virtuti religionis adversum; non respicit enim peccatum, præcisè prout divino cultui opponitur, sed quatenus est satisfactione compensandum; quia nimirum ejus objectum formale est jus divinum læsum per offensam, ut reparabile per satisfactionem; objectum verò religionis est jus divinum ortum ex suprema Dei excellentia & beneficiis ab eo acceptis.

10. Dices secundò: Eadem virtute justitiæ commutativæ in humanis constituitur æqualitas in emptionibus & venditionibus, in offensis & satisfactionibus. Item eadem virtute pietatis filius patri reddit debitum, & pro injuriis patri illatis satisfacit: Ergo similiter eadem virtute religionis homo exhibet cultum Deo debitum, & satisfacit pro injuriis ei irrogatis.

Respondeo Antecedens ab omnibus non admitti, Soto enim & Valentia existimant etiam inter homines requiri specialem virtutem ad satisfaciendum pro injuriis illatis, diversam ab ea quâ in voluntariis commutationibus satisfaciunt pro rebus acceptis, vel qua restituunt ablata, & debita reddunt. Sed quidquid sit de hoc, dato Antecedenti, nego consequentiam & paritatem. Ratio verò disparitatis, quantùm ad primum est, quia hominis ad hominem potest esse perfecta æqualitas, sub qua tanquam sub eadem ratione formali indivisibili, potest eadem virtus respicere rem debitam ut restituendam, & injuriam illatam ut compensandam. At verò Deo nequit homo reddere æquale, sive pro beneficiis acceptis, sive pro injuriis illatis, atque adeò non potest unica virtus ista respicere sub ratione perfectæ æqualitatis; nec etiam sub ratione inæqualitatis, quia inæqualitas, cùm multis modis contingat, per excessum scilicet & defectum, non est una ratio omnino indivisibilis, quæ possit unam specificare virtutem; quapropter aliunde petenda est ejus specificatio, ita ut diversæ inæqualitates, ortæ ex diversis causis, diversas virtutes specificent & distinguant. Unde inæqualitas proveniens ex beneficiis acceptis, specificabit unam virtutem, scilicet religiōnem; & inæqualitas ex injuriis illatis aliam, nimirum pœnitentiam.

11. Ad aliud exemplum de virtute pietatis, patet etiam disparitas manifesta: pietas enim filij idem jus respicit, sive dum patri cultum exhibet, sive dum pro injuria ei illata satisfacit, nimirum jus paternum, in quo diversæ illæ rationes adunatæ, possunt unam specificare virtutem. Virtus autem reddens cultum debitum Deo pro beneficiis, & virtus illi satisfaciens pro injuriis, jura diversæ rationis in Deo respiciunt. Prior enim respicit in Deo jus dominij, quod in ratione primi principij habet in omnes nostras actiones. Posterior verò respicit jus proprietatis, quod illi convenit ut ultimo fini creaturæ rationalis; ex eo enim quod est finis ejus ultimus, illa tenetur omnes suas actiones in ipsum dirigere; quare jus illud violatur per peccatum mortale, per quod homo à Deo ut à summo bono, & ultimo fine avertitur, & convertitur ad creaturam tanquam ad ultimum finem. Unde non valet instantia cujusdam Recentioris, hanc solutionem & disparitatem improbantis & impugnantis, ex eo quod (inquit) pater non solùm habet jus dominij, sed etiam proprietatis, in actiones filij. Hoc enim apertè falsum est, cùm tale jus fundetur in ratione ultimi finis, quam pater non habet respectu filij, & quæ soli Deo convenit.

12. Colligitur tertiò contra Durandum & Suarem, pœnitentiam distingui à justitia commutativa; ista enim respicit jus strictum ad æqualitatem compensandum, unde cùm homo non possit reddere Deo æquale, sive pro beneficiis acceptis, sive pro injuriis illatis, hominis ad Deum non potest dari justitia commutativa, ut docet D. Thomas 1. 2. qu. 114. artic. 1. his verbis: *Manifestum est non posse esse hominis ad Deum justitiam secūdùm perfectam æqualitatem.* Pœnitentia verò non satisfacit Deo ad æqualitatem, quia nulla creaturæ satisfactio injuriam Deo illatam æquare ullatenus potest, ut in Tractatu de Incarnatione ostendimus, Ergo pœnitentia à justitia commutativa distinguitur.

13. Colligitur quartò contra Scotum, quod licèt pœnitentia quendam modum justitiæ vindicativæ præ se ferat, quatenus punit peccatorem reum ad vindicandam Dei injuriam, deficit tamen à perfecta ratione illius; quia hæc non est in reo, sed in judice, in quo habet quandam rationem justitiæ commutativæ, quatenus servat proportionem & commensurationem inter pœnam & culpam: pœnitentia verò est in ipso reo, & nulla est proportio inter pœnam quam exigit à peccatore, & ipsam culpam; est enim illa pœna simpliciter finita, peccatum verò malitiæ simpliciter infinitæ.

14. Colligitur quintò contra Gabrielem, quod licèt pœnitentia justitiam distributivam aliqualiter imitetur, quatenus pro qualitate, gravitate, & numero criminum, pœnas præscribit & distribuit, à ratione tamen perfectæ justitiæ distributivæ recedit: Tum quia justitiæ distributivæ proprium est, distribuere bona & pœnas, cum proportione ad actus laudabiles & vituperabiles: nulla autem, ut mox dicebamus, est proportio inter culpam peccati mortalis, & satisfactionem pro ea per pœnitentiam exhibitam. Tū etiam, quia justitia distributiva est superioris ad inferiores, siquidem pertinet ad superiorem distribuere inferioribus de communibus bonis & pœnis unicuique proportionaliter ad suū meritum, vel demeritum: pœnitentia autem est potiùs

potiùs inferioris, scilicet creaturæ, ad superiorem, videlicet ad Deum: Ergo pœnitentia, tametsi modum justitiæ distributivæ æmuletur, justitia tamen distributiva non est.

15. Colligitur sextò, pœnitentiam esse partem potentialem justitiæ commutativæ. Explicatur & simul probatur hoc corollarium: præter tres species justitiæ rigorosæ & propriè dictæ, nimirum legalē, commutativam, & distributivam, dantur aliæ virtutes ad justitiam reductivè pertinentes, quæ partes potentiales justitiæ appellari solent; quia imitantur quidem & æmulantur rationem justitiæ; ab ea tamen deficiunt, vel quia non possunt reddere æquale, ut religio, pietas, & observantia; vel quia licèt possint reddere æquale, non habent tamen rigorosum debitum & legale, sed morale tantùm, quod attenditur secundùm honestatem quandam & decentiam, non verò secundùm legis obligationem, ut liberalitas, gratitudo, fidelitas, & amicitia. Cùm ergo pœnitentia non possit reddere Deo æquale pro peccatis commissis, deficit à ratione veræ & strictæ justitiæ, & constituitur pars potentialis illius; non defectu stricti debiti, sed ob impotentiam exhibendi Deo æqualem & condignam satisfactionem.

16. Neque valet si dicas, ad justitiam commutativam & perfectam, non esse necesse quod homo de facto satisfaciat, vel satisfacere possit Deo ad æqualitatem, sed sufficere quod eligat illi ad æqualitatem satisfacere, si hoc ipsi esset possibile. Sicut licèt pauper actus exteriores liberalitatis & magnificentiæ exercere nequeat, habitus tamen illarū virtutum habere potest; quia potest eligere honestatem illarum, & elicere actum conditionatum illas exercendi, si haberet facultatem. Non valet inquam hæc responsio, duplex enim potest dari impotentia ad aliquid agendum; una quæ se habeat per accidens, & se teneat præcisè ex parte subjecti, & hæc ut plurimum non impedit actum virtutis, nec ejus habitum, alia quæ se habeat per se, & se teneat ex parte objecti, & ista impedit habitum & actum virtutis; cùm enim virtus sit habitus electivus, & electio non nisi ad possibilia feratur, manifestum est, virtutem non posse circa ea quæ per se & ex objecto sunt impossibilia versari: talis autem est impossibilitas in homine puto ad exhibendam Deo æqualem satisfactionem pro peccato, nam æqualitas cum jure divino læso, impossibilis est puræ creaturæ ex objecto & per se, ita ut implicet cōtradictionem: impotentia verò quæ reperitur in paupere ad actum exteriorem liberalitatis & magnificentiæ exercendum, primi generis est, quia non repugnat ut fiat dives, & habeat multas pecunias, quas aliis distribuat.

17. Colligitur septimò, subjectum immediatum pœnitentiæ esse voluntatem, est enim pars potentialis justitiæ, ut jam ostendimus, omnis verò justitia est in voluntate, cùm ex Ulpiano justitia sit *perpetua & constans voluntas, jus suum unicuique tribuens.* Subjectum verò remotum esse quemcumque peccati reum, vel certè capacem: quia ut supra visum est, objectum materiale illius est peccatum ut detestandum & puniendū. Ex quo infertur, in Christo non fuisse habitum pœnitentiæ, quia ratione unionis hypostaticæ ab intrinseco impeccabilis erat; ac proinde non per actum pœnitentiæ, sed perfectæ ac rigorosæ justitiæ, condignè & æqualiter, pro peccatis hominum satisfecit. Infertur etiam, in Angelo pœnitentiam esse non posse, cùm enim immobiliter adhæreat objecto semel electo, non potest retractare actum elicitum, nec per consequens de illo pœnitere. Infertur quoque, pœnitentiæ habitum fuisse Adamo ante peccatum cum gratia & virtutibus infusum; cùm enim in illo statu peccati capax esset, ut funesta experientia satis ostendit, erat etiam capax pœnitentiæ. An verò illa fuerit in beata Virgine, affirmant multi, quia etsi ex privilegio, ne quidem venialiter peccaverit, aut peccare potuerit, potuit tamen ratione status viatoris, & conditionis libertatis creatæ peccare, nec fuit ab intrinseco impeccabilis, sicut Christus. Negant verò alij, quia cùm in beata Virgine fomes peccati ab instanti primæ infusionis gratiæ, vel extinctus omnino, vel certè ligatus fuerit, & in conceptione Verbi Divini penitùs sublatus; sicut illa peccare non potuit, ita nec pœnitere, subindeque in illa otiosus omnino ac supervacaneus fuisset pœnitentiæ habitus.

CAPUT III.

De effectibus pœnitentiæ.

POenitentiâ tam in ratione Sacramenti quam virtutis consideratâ, præcipui illius effectus, breviter hîc explicandi sunt: postea de partibus quibus constat pœnitentiæ Sacramentum, nimirum contritione, absolutione, & satisfactione, disseremus.

§. I.

Primus pœnitentiæ effectus, remissio omnium peccatorum mortalium.

1. Certum de fide est, tam in virtute quam in Sacramento pœnitentiæ, esse virtutem & efficaciam sufficientem, ad delenda quæcunque peccata ritè illi subjecta; ita ut nullum sit peccatum quod remitti non possit, si vera de illo habeatur pœnitentia. Dicitur enim Ezechiēl. 18. *Si impius egerit pœnitentiam, &c. omnium iniquitatum ejus non recordabor.* Et Isaiæ 1. *Si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, velut lana alba erunt.* Item de pœnitentiæ Sacramento Joan. 20. absolutè & sine ulla limitatione asseritur: *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Ratio etiam suffragatur, Sacramenta enim novæ legis id efficiunt quod significant: Sed pœnitentiæ Sacramentum significat omnium peccatorum mortalium remissionem, ut constat ex verbis formæ, *Ego absolvo te ab omnibus peccatis tuis:* Ergo per illud remittuntur omnia peccata mortalia. Unde Catechismus Romanus parte 2. num. 23. ait *nullum esse tam grave & nefarium scelus, quod pœnitentiæ Sacramento, non quidem semel, sed iterum & sæpius non deleatur.*

2. Quædam tamen sunt Scripturæ testimonia, quæ oppositum videntur asserere, Christus enim Matth. 12. Marci 3. & Lucæ 12. ait peccatum in Spiritum Sanctum nunquam remitti, neque in hoc sæculo, neque in futuro. Et 1. Joan. 5. dicitur: *Est peccatum ad mortem: non pro illo dico, ut roget quis:* quia scilicet non potest remitti: Ergo sunt aliqua peccata, quæ non possunt expiari vel remitti per pœnitentiam.

Ad primum dicendum, peccatum in Spiritum Sanctum dici non remitti neque in hoc sæculo neque in futuro, vel quia Christus (ut vult Augustinus serm. 11. de verbis Domini) ibi loquitur de finali impœnitentia, id est de peccato mortali

usque ad instans mortis durante, vel commisso in illo instanti, post quod nulla fit remissio. Vel si intelligatur de peccato malitiæ, vel de blasphemia in ipsam Spiritus Sancti Personam prolatam, significare Christum voluisse, tale peccatum difficilè condonari, quia ipsum gratiæ & pietatis fontem, nimirum Spiritum Sanctum, fastidit ac repellit. Sicut morbus ille lethalis & insanabilis dicitur, qui difficilè curatur, & quo ægrotus medicinam odit, & medicum ipsum execratur.

Ad secundum similiter respondetur cum Augustino lib. 1. Retract. cap. 19. & Beda in illum locũ Joannis, ibi sermonem esse de peccato impœnitentiæ finalis, quod specialiter vocatur *peccatum ad mortem*, quia adjunctam habet semper mortem æternam, quam infallibliter infert. Vel si per peccatum ad mortem intelligatur peccatum aliquod gravissimum, à quo homines rarissimè & difficillimè corriguntur, non prohibere Apostolum ut nemo absolutè pro tali peccatore oret, sed solùm ut non quicumque pro illo oret; quia cùm tale delictum gravissimum sit, magno eget deprecatore, seu aliquo magnæ sanctitatis viro, qui pro conversione talis peccatoris oret.

3. Quærunt hîc plures cum D. Thoma qu. 86. art. 2. & 3. utrum sine pœnitentia peccatum remitti possit, & utrum per illam unum peccatum possit remitti sine alio? Sed de his diximus in Tractatu de gratia, agendo de justificatione peccatoris.

§. II.

Per pœnitentiam tollitur reatus pœnæ æternæ, potest tamen remanere reatus alicujus pœnæ temporalis.

4. Prima pars docetur à Tridentino sess. 6. cap. 14. ubi disertis verbis exprimitur. Et cap. 7. ubi hæc ejus ratio insinuatur: Nunquam remittitur peccatum mortale, nisi infundatur gratia, per quam homo renovetur interiùs: gratia autem, cùm constituat hominem filium Dei adoptivum, subindeque det jus ad hæreditatem regni cœlestis, cum reatu pœnæ æternæ incompossibilis est.

Secunda quoque, videlicet quod post culpæ remissionem manere possit reatus aliquis pœnæ temporalis, definitur ab eadem sacra Synodo sess. 6. can. 30. his verbis: *Si quis post acceptam justificationis gratiam, cuilibet peccatori pœnitenti, ita culpam remitti, & reatum æternæ pœnæ deleri dixerit, ut nullus remaneat reatus pœnæ temporalis, exolvendæ vel in hoc sæculo vel in futuro, &c. anathema sit.* Item sess. 14. cap. 8. sic habetur: *Sancta Synodus declarat, falsum omnino esse, & à verbo Dei alienũ, culpam à Domino nunquam remitti, quin universa etiam pœna condonetur: perspicua enim & illustria in sacris litteris exempla reperiuntur, quibus, præter divinam traditionem, hic error quàm manifestissimè revincitur.*

Addit ibidem plures rationes ad probandum quod decuit ita fieri, id est quod remissâ culpâ & reatu pœnæ æternæ, totus reatus pœnæ temporalis non statim remitteretur. In primis enim justitiæ ratio exigit, ut aliter à Deo in gratiam recipiantur qui ante baptismum per ignorantiam deliquerunt; aliter verò qui semel à peccati & Dæmonis servitute liberati, templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non formidarunt. Secundò conveniens fuit ita fieri, ut malitia & gravitas peccati mortalis magis appareret. Unde Augustinus tract. 124. in Joannem: *Productior est enim pœna quam culpa, ne parva putaretur culpa, si cum illa finiretur & pœna. Ac per hoc temporaliter hominem detinet pœna, etiam quem jam ad damnationem sempiternam reum non detinet culpa.* Tertiò ad fræanandam peccati licentiam, quæ major esset, si tam facilè omnis pœna remitteretur. Quartò, quia per actus satisfactorios, quibus temporalem pœnam exolvimus, reliquias peccatorum, vitiososque habitus, malè vivendo contractos, per contrarios actus tollimus, & Christo capiti nostro tantoperè pro nobis in carne passo conformamur.

5. Eandem veritatem probat S. Tho. hîc q. 86. art. 4. ad 3. ex discrimine quod reperitur inter Sacramentum baptismi & pœnitentiæ: *Passio Christi* (inquit) *de se sufficiens est ad tollendum omnem reatum pœnæ, non solùm æternæ, sed etiam temporalis; & secundùm modum quo homo participat virtutem passionis Christi, percipit etiam absolutionem à reatu pœnæ. In baptismo autem homo participat totaliter virtutem passionis Christi (utpote per aquam & Spiritum Christo commortuus peccato & in eo regeneratus ad novam vitam) & ideò in baptismo homo consequitur remissionem reatus totius pœnæ. In pœnitentia verò consequitur virtutem passionis Christi, secundùm modum propriorum actuum, qui sunt materia pœnitentiæ, sicut aqua baptismi. Et ideò non statim per primum actum pœnitentiæ, quo remittitur culpa solvitur reatus totius pœnæ, sed completis omnibus pœnitentiæ actibus.* Quam rationem fusiùs exponit 4. contra Gent. cap. 72.

Aliam tradit in corp. ejusdem articuli quarti, quæ sic potest breviter proponi. Sicut in peccato mortali duo sunt, scilicet aversio à Deo, & conversio ad creaturam, ita & duplex pœna ipsi debetur; una æterna, quæ correspondet peccato ex parte aversionis, nam sicut peccatum ex hac parte est quodammodo infinitum, ita debetur ipsi pœna quodammodo infinita; altera temporalis, quæ correspondet conversioni, quæ finita est, & major vel minor pro qualitate objecti, vel actus, quo peccator erga illud afficitur. Cùm ergo in justificatione peccatoris, quando remittitur culpa per gratiam, tollatur semper aversio à Deo (quia per ipsum gratiam & charitatem Deo ut ultimo fini conjungitur) consequenter semper in eâ tollitur reatus pœnæ æternæ. E contra verò cùm in justificatione non semper tollatur conversio illa inordinata quam peccator habet ad creaturam, non semper tollitur reatus pœnæ temporalis, huic inordinatæ conversioni correspondens.

6. Verùm in hac ratione D. Thomæ difficile est explicare, quid intelligat nomine inordinatæ conversionis, si enim dicamus intelligere habitualem conversionem ad creaturam ut ad ultimum finem, impossibile erit salvare quod ablata aversione, remaneat hæc conversio; cùm impossibile sit hominem habere duos ultimos fines, Deum nimirum & creaturam. Si verò dicamus, per conversionem intelligi inclinationem habitualem quam facit habitus vitiosus ad particulare objectum, non poterit verificari universaliter, in quolibet peccato reperiri inordinatam conversionem ad creaturam; cùm peccatum non semper causet in peccante habitum vitiosum, qui non nisi multis actibus repetitis producitur.

7. Respondet quidam recentior Thomista, in sua Theologia mentis & cordis, D. Thomam, per inordinatam conversionem ad bonum commutabile, ex qua sequi dicit reatum pœnæ temporalis, nihil aliud intelligere, quam pravos habitus vel dispositiones, ex præcedentibus actibus causatas, quibus, ratione actus quem connotant, debetur pœna temporalis. Sed hanc responsionem tripliciter confutat Martinez à Prado, primò ex D. Thoma in 2. dist. 42. qu. 1. art. 2. ad 3. dicente quod *reatus non fundatur, per se loquendo, super dispositionem vel habitum, sed per accidens, secundùm quod talis dispositio vel habitus cuidam defectui conjungitur.* Aliquid ergo aliud, præter habitum vel dispositionem, assignandum est, fundans per se reatum pœnæ temporalis. Secundò quia de reliquiis peccati reservat agere D. Thomas art. 5. ubi tractat de hujusmodi habitibus remanentibus per modum dispositionum: Ergo in articulo quarto agit de aliquo alio præcedente, & fundante reatum pœnæ temporalis. Tertiò sæpè contingit aliquem justificari vehementi contritione, sufficienti ad delendum non solùm totam culpam, sed etiam totam pœnam temporalem, & nihilominus in eo remanere habitus vitiorum, qui non nisi per multos actus expelluntur, ut docet S. Thomas 2. 2. qu. 24. art. 12. his verbis: *Actus non directè contrariatur habitui, sed actui. Continuatio autem habitus in subjecto non requirit continuitatem actûs. Unde ex superveniente contrario actu, non statim habitus acquisitus excluditur.* Ergo reatus pœnæ temporalis non consequitur ad habitus ex præcedentibus actibus causatos.

8. Ex quibus intelliges, prædictum Auctorem hallucinatum esse in eo quod non distinxit inter reatum pœnæ temporalis, & reliquias peccatorum, & quod S. Thomas dixit art. 5. de reliquiis peccatorum, existimavit de reatu pœnæ temporalis debere intelligi. Reliquiæ ergo peccatorum sunt pravæ dispositiones vel habitus ex præcedentibus actibus vitiosis relicti; reatus verò pœnæ temporalis, est obligatio ad pœnam temporalem, quæ ex actu peccaminoso consequitur. Unde quamvis per indulgentias reatus pœnæ temporalis tollatur, per eas tamen non auferuntur reliquiæ peccatorum, cùm per eas non tollantur pravi habitus vel dispositiones ex præcedentibus actibus relictæ.

9. Meliùs ergo propositæ difficultati respondetur cum Caietano, Soto, & aliis antiquioribus Thomistis, S. Thomam, cùm ait reatum pœnæ temporalis inordinatæ conversioni respondere, per conversionem inordinatam, intelligere delectationem illicitam & inordinatam, quam peccator percipit ex conversione ad creaturam, & in objecto peccati, in eo plus nimiùm sibi indulgendo. Hanc esse mentem S. Thomæ, ex ipso textu apertè colligi videtur, ait enim: *Ex parte conversionis ad bonum commutabile, inquantum est inordinata, consequitur peccatum mortale reatus alicujus pœnæ; quia inordinatio culpæ non reducitur ad ordinem justitiæ, nisi per pœnam. Justum enim est, ut qui voluntati suæ plus indulsit quam debuit, contra voluntatem suam aliquid patiatur, sic enim erit æqualitas. Unde Apocal. 18. dicitur: Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum & luctum.* Nec refert quod delectatio illa inordinata, quam peccator percipit ex inordinata conversione ad creaturam, cum ipso peccato transeat, hoc enim non impedit, quin remaneat virtualiter aut moraliter, ratione obligationis ad pœnam temporalem, quæ ex illa relinquitur, post remissam culpam, & pœnæ æternæ reatum.

10. Argumenta Hæreticorum, quibus probare conantur, remissâ per pœnitentiam culpâ, & reatu pœnæ æternæ, nullum temporalis pœnæ reatum in justificato remanere, levissima sunt. In primis objiciunt illud Apostoli ad Roman. 8. *Nihil ergo nunc damnationis est in iis qui sunt in Christo Iesu.* Sed hoc frivolum est, quamvis enim in justificatis remissâ culpâ, & reatu pœnæ æternæ, remaneat reatus alicujus pœnæ temporalis, non propterea remanet aliquid damnationis; quia talis reatus non potest dici damnatio. Quomodo enim damnatio diceretur id quod potest ad salutem conferre, & Christo capiti nos unire & conformare, ut præstare potest solutio pœnæ temporalis per actus satisfactionis?

11. Secundò objiciunt illud Tertulliani lib. de baptismo cap. 5. *Exempto reatu, eximitur & pœna*, quo significari videtur, remissâ per pœnitentiam culpâ, & reatu pœnæ æternæ, non remanere reatum pœnæ temporalis. Sed facilè respondetur, dictum illud solùm de baptismo, & de pœna æterna intelligi. Et quamvis intelligeretur de pœna temporali, nihil contra Catholicam veritatem concluderet, quia ut suprà ex D. Thoma ostendimus, illud inter baptismum & pœnitentiam discrimen intercedit, quod cùm baptisma sit institutum per modum generationis spiritualis, nihil remanet in homine per baptismum regenerato, sive quoad culpam, sive quoad pœnam; sicut in generatione naturali, juxta D. Thomæ sententiam, nullum accidens remanet in genito quod fuerat antea in corrupto, sed fit resolutio usque ad materiam primam. Unde Chrysostomus homil. 24. in Joan. *In aqua baptismi tanquam in sepulchro caput immergentibus, vetus homo sepelitur, emergentibus inde novus resurgit.* E contra verò, cum Sacramentum pœnitentiæ sit institutum, per modum medicinæ spiritualis, non semper perfectè & totaliter hominem sanat, sed pravos habitus & dispositiones, quasi morbi reliquias, in eo relinquit; quemadmodum sanato vulnere, emissoque pure, cicatrices quædam remanent, quæ & ipsæ curandæ sunt.

§. III.

Remissio venialium, tertius pœnitentiæ effectus.

12. Triplex est difficultas breviter hîc resolvenda. Prima est, an & quomodo peccata venialia per pœnitentiam & alia Sacramenta remittantur? Secunda, an & quomodo remittantur per Sacramentalia? Tertia, an extra Sacramentum & sacramentalia, per alios virtutum actus, peccata venialia deleantur?

Dico ergo primò, Sacramentum Pœnitentiæ habere vim remittendi peccata venialia quæ illi subjiciuntur, ex opere operato. Patet ex Tridentino sess. 14. cap. 5. & ex usu piorum fidelium approbato, ibidem à Concilio, & à D. Cypriano in serm. de lapsis, ubi eos laudat, qui per confessionem Sacerdotalem, salutarem medelam parvis licèt vulneribus exquirunt. Item Augustinus lib. 50. homiliarum homil. 50. sic habet: *Quamvis singula non lethali vulnere ferire sentiantur, tamen omnia simul congregata, velut scabies nostrum decus ita exterminant, ut ab illius sponsi speciosi præ filiis hominum castissimis amplexibus separent, nisi medicamento quotidianæ pœnitentiæ rescecentur.* Ratio etiam suffragatur, tum quia non solùm mortalia, sed etiam venialia, sunt hujus Sacramenti materia, ut dicemus infra cùm agemus de confessione: Tum etiam, quia rationi consentaneum non est, existimare Sacramentum pœnitentiæ posse quidem delere peccata mortalia post baptismum commissa, sed non venialia, quæ sunt minoris momenti, & faciliùs remitti possunt. Unde S. Thomas hîc qu. 87. art. 1. in corp. &